



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

70. Mariæ Hungariæ Reginæ Belgij pro Carolo V. Cæsare Gubernatricis,
Epistola ad Priorem & Conuentum S. Maximini, cum aliâ ad
Archiepiscopum Treuirenssem Ioannem Data, Anno MDL.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

70.

*Mariae Hungariae Reginae Belgij pro Carolo V. Cesare Gu-
bernatrix Epistola ad Priorem & Conuentum Sancti
Maximini, cum aliâ, ad Archiepiscopum Tre-
uirensen Ioannem, Data Anno
M D L.*

Ad Priorem & Conuentum S. Maximini.

Maria Dei gratia Hungariae, Bohemiae, &c. Regina, Vidua
Sacrae Caesareae Maiestatis in inferiori Germania Locum-
tenens & Gubernatrix.

Religiosi, sincerè dilecti. Mittimus vobis hisce inclusum exemplum litte-
rarum, quas Reuerendissimo Principi Archiepiscopo Treuren. Abbati
vestro commendatario scripsimus, ex quibus facillè intelligere potestis,
nos tam causâ Caesaris Domini & Fratris nostri obseruandi, Aduocati & Prote-
ctoris Monasterij vestri, quàm etiam conseruationi vestrorum priuilegiorum,
morisque haectenus inuiolabiliter obseruati studere. Petimus itaque à vobis, vt
quæ vestrarum partium sunt, apud prædictum Archiepiscopum diligenter aga-
tis, efficiatisque, ne D. S. alicuius innouationis & neglecti officij ratione, istius
Monasterij meritò accusari possit: Vice versa, quod ad nostrum officium atti-
net, curabimus, ne aut commenda huiusmodi, quam nunc super vos D. S. ob-
tinet, in consequentiam trahi, aut aliqua incorporatio de fructibus Monasterij
vestri timeri possit, neue quisquam in futurum vos iure liberae electionis vestrae
frustrari tenter, Datum Bruxellæ XX. die mensis Februarij, Anno Domini
1550.

Ad Ioannem Archiepiscopum Treuirensen.

MARIA Dei gratia Hungariae, Bohemiae &c. Regina Vidua Sacrae Cæsa-
reae Maiestatis in inferiori Germania locumtenens & Gubernatrix &c.
Reuerendissimo Principi consanguineo nostro charissimo, Domino
Ioanni Archiepiscopo Treuren. Sacri Romani Imperij per Galliam & Regnū
Arelaten. Archicancellario & Electori salutem, & omnis boni incrementum.
Reuerendissime Princeps Consanguinee charissime. Audiuius relationem
negotij & controuersiae, quæ pridem inter D. V. & procuratorem generalem
Ducatus Luxemburgensis verti cæpit, ob arrestum per eundem obtentum, su-
per bonis Abbatie S. Maximini sitis in territorio Luxemburgensi facileque in-
de comperimus non satis de Iuribus Cæsareæ Maiestatis informatos fuisse eos,
qui huic contentioni causam præbuerunt. Neque enim duntaxat ratione bono-
rum in Ducatu Luxemburgensi. sitorum Abbates S. Maximini sese pro Prelatis
eius Ducatus haectenus gesserunt, Conuentibusque publicis eiusdem interue-

Qq 2

nerunt,

nerunt, sed potissimum ob id, quod ab antiquissimis temporibus eiusdem Monasterij Aduocatiâ & protectio ad præfatos Duces spectauerit, & cum ex recentibus euidentibusque documentis pateat, proximum D. V. prædecessorum maiorum suorum vestigijs insistendo, cum cæteris statibus Ducatus vel Conuentibus publicis interfuisse, vel eorum acta ratificasse, non possumus non mirari de isthac nouitate, qua contra morem maiorum, duntaxat ratione bonorum ibi sitorum, honorisque tantum gratia procuratorem se committere D. V. scriptis suis professâ, protectataque est, nulla penitus habita ratione vel moris per prædecessores obseruati, vel iuris antiquissimi & clarissimi Aduocatiâ & protectionis, & quasi in dubium D. V. vocare velit id, quod antea semper in confesio fuit, Abbates scilicet Sancti Maximini inter Prælatos Ducatus Luxemburgens. semper recenseri atque haberi. Id autem non bonorum ibi sitorum causa ita receptum fuisse, vel ex eo constat, quod plerique alij Episcopi, & Abbates tam Gallia, quàm aliarum terrarum decimas, alteriusque generis bona pleraque in Ducatu Luxemburgens. Comitatuque Chinacens. possideant, quos tamen nemo vnquam ob id inter Prælatos eius ditionis habuit, quæ sint ad Ducales Conuentus vocari soliti, prout ab omni vetustate de Abbate Sancti Maximini obseruatum fuisse comperitur, nec verò per talem comparitionem iuribus facti Imperij plus nunc, quam antea præiudicatum fuisset, cum illa qualia & quantacunque sint, Cæsarea Maiestas non modo non diminuere, sed potius conseruare intendat. Quod præteriti temporis acta satis testantur, vt nisi protectio Ducum Luxemburg. intercessisset, Monasterium illud iam pridem se des mutare coactum fuisset. Quod si verò litteris nonnullis, vti nobis expositum est, Luxemburgense Consilium prætere aliud forsan voluisse aliquando visum fuerit, id quidem de scitu nostro factum non est, ac si ex vestra parte fiet quod debet, inhibebimus quoque nos vt veterem scribendi formam Cæsareæ Maiestatis Officiati ac ministri sequantur, nouitatibusque omnibus, si quas attentatas apparuerit, abstineant, verum vt illi etiam tale aliquid forsan imprudentius nouassent, non illa tamen sufficiens fuisset causa, quare verus fidelitas Duci Luxemburgensi à Prælato Sancti Maximini debita denegari deberit. Porro, quod dicitur non solitos fuisse Abbates Sancti Maximini Ducibus Luxemburgensibus sacramentum vllum præstare, contrarium per vetera Ducatus eiusdem monumenta facile ostendi potest, interfuisse videlicet Abbates Sancti Maximini eorumue Procuratores Conuentibus publicis Luxemburgensibus, fidelitatisque sacramentum olim in Principum Luxemburgensium receptione præstare consueuisse, nec est vlla causa, cur in eo aliqua fiat difficultas, cum tale iuramentum sit reciprocum, & Princeps illis vicissim iuret protectionem, & priuilegiorum suorum conseruationem, quæ quatenus Abbas Sancti Maximini ab Imperio obtenta possidet, eiusmodi sacramento magis confirmari, quàm labefactari quilibet intelligere potest, Ac merito sanè vicissim vinculo fidelitatis ac reuerentiæ ij, qui eius protectioni subsunt, astringi & obligari debent. Cum igitur ex prædictis pateat non satisfactum esse ex parte Prælati & Monasterij Sancti Maximini officio debito: haud sine causa fiscalis nobis ad huiusmodi arrestum motus fuisse videtur, & quamquam iure merito condigna reparatio ea de causa per Cæsareâ Maiestatem exigi posset, nihilominus in gratiâ, fauorem ac honorem D. V. contentæ erimus id ipsum arrestum, vna cum processu desuper pendente, cassare. Quatenus D. V. quæ sui sunt officij tandem adhuc faciat, impleatque, ac litteras recognitionis debitæ nobis transmittat, quibus se tanquam Prælatum Ducatus Luxemburgens. ratione dictæ Abbatia ma-